DIODORI TULDENI IC. ... DE CAUSIS CORRUPTORUM IUDICIORUM ET REMEDIIS, LIBRI 4...

Digitized by Google

DIODORI
TVLDENI IC.
DE CONSVLTISSIMA
AD IVRISPRVDENTIAM VIA
ORATIO.



COLONIÆ,

Apud Conradum Butgenium,
Anno M, D. CXXIV.

AD LECTOREM.

BEnigne Lector, viſum fuit hanc Orationem adiungere, quia aliquot per primum Librum capitibus illuſtrandis facit: nam quæ iſthic de ordine & ratione ſtudiorum Juriſprudentiæ ſtrictim, ea hic diffuſius explicata.

DIODORI TVLDENI IC.

DE CONSVLTISSIMA AD IVRISPRVDENTIAM VIA ORATIO.

POST explicationem *Inſtitutionum Iuris Ciuilis*, anno proximo à nobis peractam, nunc *Codicis Iuſtinianai* interpretationem officij mihi ratio iniungit, pari quidem temporis ſpatio implendam: quamuis *Codicis* amplitudo immenſum excedit anguſtias *Inſtitutionum*. Etenim nō maieſtate tantum Codex, Conſtitutiones Imperatorum complexus, ſed magnitudine quoque & mole magnam obtinet partem in Corpore Iuris. & quid partem dico? totius inſtar Iuriſprudentiæ *Codex* eſt, omnes illius partes ſinusque perluſtrans, ita non ſacræ res non profanæ, non publicæ non priuatæ, non Ciuiles non militares à tractatu eius ſeparantur. Exſurgit animus, quoties propoſiti magnitudinem operis intueor. iuuat exclamare illum Poetæ inclyti verſum:

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo
Tempore molimur...

Magnum molimur opus, & quidem tempore exiguo; interpretari hoc anno Codicem Iuris: & anno quidem non ſolido quantum enim de eo feriæ auferunt? quantulum eſt quod lectiones occupant? Quid igitur? opus viribus inſuperabile arte aggrediemur. Videmus ingentes moles nec virium impetu mobiles machinarum ingenio facile impelli. Imò videmus totum terrarum orbem in breui tabella repræſentari: Europam, Aſiam, Africam, & illos recens detectos naturæ receſſus, cum maribus ſuis inſuliſque & populis, hoc imita-

 bor

bor exemplum: totius imaginem Iuriſprudentiæ, tanquam in tabula geographica, in hiſce commentarijs exhibebo, & ſub vnum quaſi conſpectum proferam: ne alioqui diffuſa rerum amplitudo obſtet diſcentibus, & diuerſitate ſua aciem intentionis abrumpat. Sed tam vtile opus ex abrupto ordiri neque debui: quia plurium iam conſuetudo annorum hanc mihi quaſi legem impoſuit, vt conciliarem auditoribus doctrinam hanc Iuris, antequam infunderem: ſed neque volui tam vtilem inſtitutionem committere animis non præparatis; ne inútiliter forte traderem minus diſpoſitis aptatiſque ad recipiendum. Etenim ſi conſulo affectum meum erga eos qui tanti putant tam diligenter nos audire, non videor mihi rectè docuiſſe, niſi auditores mei multum didicerunt; prorſus, tanquam docentis gloria à diſcentium fructu pendeat. Itaque ante conſultoris, quam Doctoris officio fungar: & quam exiſtimem optimam dirigendi hęc ſtudia rationem candidè vobis ediſſeram, non quidem ambitioſa in ornatum oratione, ſed familiari & extemporali ſermone. Neque enim diu nobis hac de re inquirendum eſt: noſtris experimentis imo erroribus vel ambagibus primorum ſtudiorum ſcire poſſum, quæ conſultiſſima ad Iuriſprudentiam via ducat. Exiſtimate vos è portu iam ſoluere, ſed antè à gubernatore aliquo, nauigatione eadem perfuncto in portumque delato, commoneri de ratione dirigendæ nauigationis; de ſcopulis quos vitetis, de ſideribus ad quæ curſum deſtinetis, de ſignis tempeſtatum, quæque alia conditio nauigationis recipit. idęm ego nūc præſtabo: quæ in hoc ſtudiorum curſu ſectanda, quæ declinanda, monebo. ſed ne extemporarij ſermonis curſus euagetur, hos conſtituo limites. Primo de fine Iuriſprudentiæ dicam; & in quem ſcopum vobis ſtudia hæc ſint dirigenda. Deinde quem animum in ſuis candidatis Aſtræa exigat, quibus moribus concilietur, cui pectori ſe committat. Proximum erit, quibus ſtudijs præcultus eſſe debeát, qui Aſtręæ capax ſit. Vltimum, quæ commodiſſima methodus ſit percipiendæ doctrinæ Iuris.

Hæc ſi pronis animis recipietis, intelligetis profecto quid multorum profectui in his ſtudijs remoram obijciat, & quomodo promptum eſſe poſsit, plenis velis, faciliqúe, & inoffenſo curſu, in Iuriſprudentiæ portum deferri. Sacra res eſt conſilium; audite

cum

eum beneuolentia veſtris candidiſſimè amantiſſimeq; conſulentem ſtudijs.

Quod vt omnium propoſito, ita noſtra propoſitione, primum eſt, *de fine Iuriſprudentiæ*, id eſt altius repetendum; & in commune differendum, de ſtatu habituque eius; quam ſic vel è longinquo nouiſſe vtile in multa erit.

In tanta varietate artium, ſcientiarumque, quæ partim ad vitæ regimen, partim ad ornatum, partim denique ad miniſterium deſtinantur, tres antecellere ceteris meruerunt, *Theologia*, *Medicina*, *Iuriſprudentia*: hæ dignatione & vſu, hodie certè, præcipuæ ſunt: hæ publicæ ſunt, reliquę quaſi priuatæ: hæ ad regendam pertinent vitam, reliquæ adminiſtræ ſunt. Nam cum tribus rebus humana vita cenſeatur, Animo, Corpore, Externis:

Animum ſpectat & regit Theologia; Medicina corpus; Denique Iuriſprudentia bona externa: & quibuſdam quidem officia ſingularum diſtinguere viſum eſt, ſed hi certè iniqua circa Iuriſprudentiam diſtributione, in anguſtum fines eius contraxerunt: quos ego non ad fortuita tantùm bōna, ſed & animos quoque & corpora ciuium pertinere, exiſtimo; atque ita in omni artium diſciplinarumque turba eminere Iuriſprudentiam, vt reginam arbitramque reliquarum, ſub cuius tutela, & moderamine conſiſtant vniuerſę. Etenim cum Ius diſtributum ſit in publicum & priuatum; cumque omnium conſenſu *Ius Publicum* ad tutelam publici ſtatus ſpectet, & ſupremi Iura Imperij temperet, ac regendæ reipublicæ normam contineat: non poteſt à Iuriſprudentia regimen animi corporiſque ſeparari, non magis quam vt ſolis externis bonis Reſpublica cenſeatur. Itaque, vt primus Codicis Titulus vobis oſtendet, etiam ipſa Religio ſub Iuriſprudentiæ tutela eſt: & quicquid de controuerſijs ſacrorum Pontifices definiunt, origine quidem tenus ad Theologiam pertinet, ex cuius vtique principijs ſtruitur; ſed auctoritatis adſpectu, quæ vim legis definitioni tribuit, ad Pontificium vel diuinum Ius refertur. Pręcepta nimirum Iuris, vel ſuprema potius decreta ſunt: *Honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*: huc omnes referūtur leges, hęc in omnibus ſuis conſtitutionibus Iuriſprudētia ſpectat.

 Quid

Quid verò aliud eſt *honeſtè viuere*, quam ad rectæ rationis normam, & animum formare, & vitam inſtituere, & actiones moderari? Hoc vero Iuriſprudentia quoque exigit: quæ licitum ab illicito diſtinguit, quę rectè facta prę̨mijs inuitat, mala facinora ſupplicijs coercet. Cùm verò leges eò quoque tendunt, *vt nemo lædatur*; quomodo patrimonij tantum honoriſque, non etiam corporum tutelam regimini ſuo vindicant? Illud non negauerim: vt Theologi cura animum, medici induſtria corpus, ita externa potiſſimum ſpectare Iureconſultum: ſed ne tunc quidem ab animi & virtutis cura remotum. id nempe agit vt ex Iuſtitię præſcripto diſponantur hæc externa quibus vita inſtruitur: ſed quomodo externa illa corpori ſeruiunt, ita Iuſtitia vtique animi præcipuè negotium agit. Itaque fortuita illa ſubijcere ditioni Iuriſprudentiæ non poſſumus, quin ea in ijs ipſis animos hominum & corpora gubernet: fraudes, inſidias, & fæcundam malorum auaritiam vel arcens vel coercens. Ne miretur quiſquam tantam Iuriſprudētiæ in externis his diſponendis occupationem, vt hæc curarum ſumma quibuſdam videatur. Nam ipſos inſpicite homines, quibus regendis Ius comparatum eſt; omnium & ſingulorum curas & vota expendite: quid æquè illos occupatos tenet quam illa, vt ſic dicam, fortunæ officina? paucis animus colitur: pleriſque diuitię potiores ſunt:

O Ciues, ciues, quærenda pecunia primum:
Virtus poſt nummos

imò ipſam vitam animumq; pecuniæ poſtponi, nemo dubitabit, qui impoſturas, circumſcriptiones, periuria, diſcordias, cædes, bella mortalium ad cauſas ſuas origineſque exegerit. Nimirum

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis pectora?

Labores mortalium & pericula, ſtudia & negotia, ſollicitudines & vota, virtutes pene dixeram & vitia, quid aliud ferè quam aurum & opes ſpectant petuntque? vnde magnam vitæ partem Iuriſprudētia regit, quamuis ſola fortunæ bona diſponeret. quantum enim Iuriſprudentiæ imperium eſt, quod cæcæ temeritatem fortunæ regit? enimuero cum duplicem Iuriſprudentia *Iuſtitiam* formet; *diſtributoriam & commerciariam*: vbi plena maieſtate in Republicâ viget, magna ex parte licentiam fortunæ recidit. Etenim ſi ordinum diſcrimina ſeruantur, ſi dignitates aſſignantur dignis, ſi pro naturæ

genio

genio quiſque apto muneri admouetur, ſi benemeritis de Republ. præmia rependuntur: vtique temerariæ licentia fortunę refrenatur: & hoc quidem in publicarum diſtributione rerum: ſed idem quoque in priuatis rebus Iuriſprudentia efficit, ſuum cuique tribuẽdo & tuendo, fraudem omnem & vim compeſcendo. Quæ cum ita ſint, latere iam nõ poteſt illud quod in Iuriſprudentia extremũ quærimus, quo omnia tanquam in ſcopum deſtinantur: *iuſtitia* nimirum & *publica ſalus*. hoc igitur fine ſtudia hæc dirigenda, hoc voto colenda ſunt: vt quod Iuſtinianus huic ſcientiæ præmium proponit, apti euadatis Reipublicæ adminiſtrandæ; Iuſtitiæ ciues conciliando, ad commune bonum ciuitatis dirigendo. De Iuſtitia vulgo dictum eſt, quod alienum bonum ſit; *& foras ſpectet, fida ſpeculatrix*, inquit Ciro, *Vtilitatis alienæ*: idem de Iuriſprudentia cenſendum eſt. *eſt enim*, inquit Vlpianus noſter, *res ſanctiſſima ciuilis ſapientia: nec pretio nummario æſtimanda*. magnificentius æſtimare Iuriſprudentiam non potuit; politicam ſiue *ciuilem ſapientiam* appellat, quia ciuitates regit & conſeruat: *rem ſanctiſſimam* appellat, quia Iuſtitiam (qua nihil ſanctius eſt) format, illuſtrat, tuetur. merito *ſanctiſſimam*: quia Aſtræam colit, magnam illam Deam; huic conſecrata eſt, *ſanctiſſimã* quoque: quia *ſacra res Conſilium* prouerbio dicitur, conſilij autem copia penes Iureconſultum eſt, & à *ciuilis ſapientia* fonte manat. Iuriſprudentiam igitur quia ſacra eſt, *pretio nummario æſtimandam* Vlpianus negat: neque igitur lucrum & ingentes diuitiæ Iuriſprudentiæ finis ſunt, ſed AEquitas & publica vtilitas: neque auaritiæ ſed Iuſtitiæ voto colenda eſt.

Hæc cum ita ſint, in obſcuro quoque iam eſſe non poteſt, quam indolem in initiatis ſibi Aſtræa amet, quos a candidatis ſuis mores Iuriſprudentia exigat. Etenim ſic exiſtimo, à *Virtutum* numero non magis excludi *Iuriſprudentiam* poſſe, quam à *prudentia* ſeparari. quam Virtutem & quidem Moralem eſſe, adeoque Virtutum principem reliquarum, inter omnes conſtat. Itaque ſi Virtus Iuriſprudentia eſt, cum vitijs nulla illi ſocietas eſſe poteſt: vt non ingenij tantum ſplendore aliquo, ſed bonæ mentis luce ad hæc ſtudia opus ſit. Quæ Fabius de Oratore ſuo in hanc ſententiam ſcribit, huc aptare mihi liceat: nam in Oratoris munus Iuriſprudentia tandem ſucceſſit. Verba eius promam, pulcerrima, & magnificentiſſima, niſi quod ſentẽ-

tiarum

tiarum ſplendore, & copia obſcurantur: promam & expendam, ſed vt ſententiarum precium æſtimem.

Neque enim, inquit, *tantum id dico, cum qui ſit orator virum bonum eſſe oportere: ſed ne futurum quidem oratorem, niſi virum bonum. nam neque intelligentiam conceſſeris ijs, qui propoſitâ honeſtorum ac turpium viâ, peiorem ſequi malint: neque prudentiam: qui in grauiſsimas frequenter legum, ſemper verò malæ conſcientiæ pœnas à ſemetipſis improuiſo rerum exitu induuntur.* O pulchrè! & ſic colligamus: intellectum dilectumque rerum vel à natura non receperunt, vel conſuetudinis certè corruptela deleuerunt, qui deteriora melioribus anteponunt: nuſquam autem manifeſtiore diſcrimine hæc comparatio conſiſtit, quam circa honeſta & turpia; quaſi dicas, circa lucem & tenebras, diem & noctem. ſine intellectu autem dilectuque tali rerum, nemo æquum ab inquo, licitum ab illicito diſtinguet; id eſt, nemo Iureconſultus fuerit. Sed neque ſine prudentia, vſu & obſeruatione, vel ſua vel aliorum, expolitâ, Iuriſprudentia conſiſtit: tali autem ſapientia carent, qui ſibi non ſapiunt; pœnis ſe ſubijcientes legum ſiue Ciuilium, ſiue illius internæ: ex qua . . . . *Prima eſt hæc vltio, quod ſe*

Iudice nemo nocens abſoluitur . . . . .

& rectè proinde legum & conſcientiæ pœnas Fabius coniungit & æquat: neque enim cum Poeta

Euaſiſſe putat, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,

timoris, ſuſpicionis, diffidentiæ: adde pudorem, pœnitentiam, tædiumque ſui, & mille inquietudines. ſed fortius etiam Fabius concludit. *quod ſi neminem malum eſſe, niſi ſtultum eundem, non modò à ſapientibus dicitur, ſed vulgo quoque ſemper eſt creditum: certè non fiet vnquam ſtultus orator.* pergit accumulare argumenta. *Adde, quod ne ſtudio quidem operis pulcerrimi vacare mens, niſi omnibus vitijs libera poteſt. Primum quod in eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpiumque conſortium: & cogitare optima ſimul & deterrima, non magis eſt vnius animi, quam eiuſdem hominis bonum eſſe ac malum.* Acutè colligit, & verè. Iuriſprudentia in contemplatione æqui & boni verſatur, in Iuſtitiæ defixa imaginem: in contrarium verò vitia, quaſi tempeſtate quadam, imo quaſi Sirenum quodam cantu cogitationis curſum deflectunt. Sed aliter quoque quod propoſuit colligit. *Tum illa quoque,* in

que, inquit, *ex cauſâ quod mentem tanta rei intentam vacare omnibus alijs etiam culpâ carentibus curis oportet: ita demum enim libera ac tota, nullâ diſtringente atque aliò ducente cauſâ, ſpectabit id ſolum ad quod accingitur.* Quemadmodum enim cum exactè aliquid perſpicere conamur, oculos defigimus & contendimus; ſi vero illos per ſupera, ac infera circumagimus, nihil vnum acutè intueri poſſumus: ita animus in varias curas diſſipatus nihil vel inueſtigare diligenter, vel perluſtrare ſubtiliter, vel denique comprehēdere tenaciter poteſt. ſed Fabium audiamus diffundentem hoc argumentum. *Quod ſi corporum*, inquit, *nimia cura & ſollicitior rei familiaris diligentia, & venādi voluptas, & datiſpectaculis dies multum ſtudijs auferunt (huic enim rei perit tempus quodcumque alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, auaritiam, inuidiam? quarum impotentiſſimæ cogitationes ſomnos etiam ipſos & illa per quietem viſa perturbant. nihil eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam varijs affectibus conciſum atque laceratum quàm mala mens.* Breuiter, argumenti vis hæc eſt, Occupationes etiam innoxiæ impediunt ſtudium: ergo multo magis vitia, quia ea occupatiſsimos homines tenent; (& quidem interno quodam & animi labore, æſtuantium nimirum cogitationum tumultu) eoſque adeò in duriſſimam ſeruitutem ſibi redigunt. id probat, & addit: *Nam & cum inſidiatur ſpe, curis, labore, diſtringitur, & iam cum ſceleris compos fuerit, ſollicitudine, pænitentia, pœnarum omnium exſpectatione torquetur.* Graues hæ ſanè occupationes quas & vitijs eſſe, ne miremur, tanquam ea reſidis & ſoluti in ſecuritatem animi ſint. ipſum illud iners otium occupatiſsimum eſt, & vt Ennius ait:

Otio qui neſcit vti, plus negotij habet
Quàm cum eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit: ſtudet ibi, mentem atque animum delectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit quid velit.

Vagus nimirum vacuuſque animus incurſui vitiorum patet: nec tantum *amor*, vt venuſtè quidam ait, *otioſæ mentis occupatio eſt*, ſed reliquarum ferè omnium agmen cupiditatum.

Sed concludit Fabius: *Quis inter hæc litteris aut vlli bonæ arti locus? non hercle magis, quàm frugibus in terra ſentibus ac rubis occupatâ.* pulcra ſimi

cra ſimilitudo, & diuinis quoque litteris vſurpata. ſpinæ, radices, & ſilueſtria virgulta terræ ſinum & genitales vires occupant, ne fouere receptum ſemen poſſit; & exſurgentem fortè herbam, ne educari poſſit opprimunt enecantque. Pariter vitiorum curæ melioris doctrinæ ſementem coaleſcere animo & creſcere non patiuntur. *Age*, inquit; *non ad perferendos ſtudiorum labores neceſſaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac luxuria ſpei?* certè vt ſtudijs apti ſimus, neceſſe eſt,

Vt ſit mens ſana in corpore ſano:

Hoc vero temperantia præſtat. nam vt Horatius ait:

. . . . *corpus onuſtum*
Heſternis vitijs animum quoque prægrauat ipſum:
Atque affigit humi diuinæ particulam auræ.

Denique Fabius: *non præcipuè acuit ad cupiditatem litterarum amor laudis? num igitur malis eſſe laudem curæ putamus?* minime, nam vt vere dictum à Tacito eſt: *contemptu famæ contemni virtutes*: ita viciſsim contemtus virtutis ad contemptum gloriæ redundat. Ego vero dixero: num ad ſtudium præcipuè incitat deſiderium propoſiti finis? num igitur malis curæ eſſe putamus illum quem Iuriſprudentiæ diximus finem, Iuſtitiam publicumque bonum? Sic igitur habetote. bonum Medicum fortaſſe eſſe poſſe, qui non idem vir bonus ſit; & plus corporis, quàm animi ſanitati tribuat. Muſicum quoque eſſe poſſe, qui voluptatem cum damno virtutis ſectetur: dialectico etiam ad artis perfectionem non obſtare ſi turpius putat argumento capi, quàm vera fraude decipere; nec Grammaticum cum artis ſuę damno, magis ſolœciſmum, quam probrum timere. Rhetorem quoq; perfectum eſſe poſſe qui orationis cultui cultum mentis poſtponat: non ideo minus Arithmeticum quem eſſe, quod aurum computare malit, quam virtutem æſtimare: denique Geometram, ſalua artis laude poſſe præ terra cœlum negligere. Verum *Iuriſprudentiam* nemini plenam contingere ſine prudentia & virtute. In illa enim; & quibus præterea artibus curæ Virtus eſt, verum maximè puto, quod generalius Seneca profatur. *Non poteſt alius, eſſe Ingenio, alius animo color. Si illo ſanus eſt, ſi compoſitus, grauis, temperans, Ingenium quoque ſiccum ac ſobrium eſt: illo vitiato, hoc quoque afflatur. Non vides, ſi animus languet, trahi membra, & pigrè moueri pedes?*

Digitized by Google

dei? ſi ille effæminatus eſt, in ipſo inceſſu apparere mollitiem? ſi ille acer eſt, & velox, concitari gradum? ſi furit, aut (quod furori ſimile,) iraſcitur, turbatum eſſe corporis motum; nec ire ſed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animæ permixtum eſt, ab illo fingitur, illi parat, inde legem petit?

Tale igitur pectus Iuriſprudentia exigit, ſed quibuſdam quoque artibus præcultum ſit neceſſe eſt. Iuriſprudentia vt reliquis imperat artibus, ita quaſdam in miniſterium ſibi ornatumque deſiderat: & vel ipſo id nomine probauerim. PRVDENTIA enim eſt: Prudentiæ autem artes *Ethica & Politica* ſunt; illa quæ ſingulos ad Virtutis normam, hæc quæ Vniuerſos ad ſocietatem & commune bonum dirigit. Deinde *Ius Romanum* eſt quod tractamus, nec proinde ſine peritia illius & Reipubl. & ſermonis percipi poteſt. Leges enim ſtatui publico adaptantur; & Romanę illæ exactiſsima elegantia compoſitæ ſunt, igitur & *Hiſtoriæ & Philologiæ* præſidijs opus eſt. Sic contingit, vt ab ipſis fontibus puram, & quidem compendiaria via Iuriſprudētiam hauriatis; non à lutulentis & diſperſis variè riuis, id eſt tot Interpretum diffuſis voluminibus. Ad hæc cum Iuriſprudentia non tantum in ſcriptarum notitia legum cernatur, ſed in earum interpretatione præcipuè vim ſuam oſtēdat; quid ſentētiæ legis & mēti legiſlatoris, vel conſequens vel repugnās ſit, per varios factorum articulos, diſponens: ideo *Dialectica* quoque preparatum eſſe vel maximè futurum Iureconſultum oportet. Etenim principales illę artes reliquarum adiumento circa principia ſua vtuntur: nec ſine ijs proinde ſatis plenè aut firmiter comprehendi poſſunt. Quod Seneca de Mathematica ait, *ſuperficiaria eſt, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat*: idem de Iuriſprudentia dixero; Principia ſua ex morali & Ciuili Philoſophia potiſſimum petit. Fortaſſe cogitat non nemo, extitiſſe adeoq; exſiſtere, & noſſe ſe inſignes Iuriſperitos, aliarum omnium expertes artiū, quid igitur prohibeat, Iuriſprudentiam ſui, vt ſic dicā, iuris eſſe, nec quicquam reliquis debere artibus, nec opis illarū indigere? ſed plures ipſe fortaſſe noui, qui cum reliquas litteras contēnant vel ad ſe pertinere negēt, ſibi vnicam curarum Iuriſprudentiam eſſe iactēt, hac ſe cenſeri velle; tam falſa Iuriſprudentiæ perſuaſione ſibi placeant, quā iniqua cēſura reliquos ſpernūt. ſed vt hāc litē remittā, demus aliquē

ad Iuriſprudentiæ culmen ſine litterarum quibuſdam gradibus perueniſſe; hunc ego quoque admirabor, & excellentis induſtriæ atque ingenij alis euolaſſe dicam: ſed hoc addam, altius etiam & facilius euehi potuiſſe, vberiore litterarum ſpiritu concitatum. Neque ſanè deſunt tam fœlicibus illuſtrati ſideribus, in quibus artis facultatem naturæ fœlicitas exprimat vel adumbret: namque ars omnis ex ipſis primùm naturæ principijs hauſta eſt atque expreſſa; & vix vlla litteris ſcientia continetur, quæ non ante litteras in pectoribus hominũ fuit, ſed obſcura & inuoluta. Quid igitur eſt? quantumuis fortunatum mihi ingenium monſtraueris, tamen vnum eſt; & proinde plurimorum in vnum conflato ingeniorum ſpiritu ſuperari poteſt: artes autem quid aliud ſunt, niſi multorum ingeniorum conſpiratio & in vnum collatæ vires? neque enim vlla artium vt primum inuenta, etiam perfecta fuit; ſed plurium exculta ingenijs paulatim ad ſummam venit. Idem de vſu eorum dicam; cuius beneficio multi quod artibus continetur præſtant. Des mihi ſolis experimentis nobiliſsimum publici conſilij authorem: non ideo ſuperuacuum ei futurum fuiſſe hiſtoriæ & politices ſtudium fatebor. Etenim obſeruatione ille nititur 79. vel ad ſummum 100. annorum: ſed quãtillum hoc eſt, ad omnis æui euentus, quos Hiſtoria conſignauit? quantillum, ad tot ſæculorum decurſum, quibus Politica, quibus artes reliquę, acceſsione experimentorum creuerunt? igitur vt mediocribus ingenijs reliquarum quas dixi artium ſubſidia ad Iuriſprudentiam neceſſaria ſunt: ita nullum tam fœlix inter mortales pectus eſt, tamque propitio naturę impetu Iuriſprudentiæ deſtinatum, vt ad excellentiam eius nihil ſuperſit quod debere litteris poſsit. Neque verò difficilis cuiquam hæc quam deſigno via videri debet, & quæ ab ipſa Iuriſprudẽtia dehortetur. etenim ſi quis modice ijs quas dixi litteris imbutus eſt, perficere eas vnà cum Iuriſprudentia promptum erit, in hac certè Academiâ: cum vberiorum interiorumque litterarum fontem hic habeatis *Erycium Puteanum*, cuius lectiones in eas omnes quas exigimus artes vel ſolæ ſufficere poſſunt. In illo enim auditorio Eloquentia cum Philologia, Politica doctrina cum Hiſtorica exemplisque priſci ac melioris æui propagantur.

Venio nunc quo me exſpectatio veſtra iamdudum vocat, & exponam qua methodo ipſum Iuris ſtudium dirigẽdum exiſtimem. nam

quæ

Digitized by Google

quæ hactenus preſcripſi, è longinquo vota veſtra iuuant; hoc vero proximum, quod iam aggredior, Neque verò metuat quis, ne dicam à labore petenda omnia: ego vero per voluptatem ad Iuriſprudentiam monſtrabo iter. Laborem mortales auerſantur, voluptatem vero perſequuntur omnes, ſed vt peruerſa voluptas, laborũ cauſa eſt, vt Poëta ait,

. . . . *nocet empta dolore voluptas*:

ita honeſta voluptas lenit, & fallit, imo tollit laborem. Omnia igitur ei expedita erunt, qui voluptatem ſentire ex his ſtudijs poterit; & ſentiet, qui amare poterit. Sua enim cuique cupiditas rem quamque iucundam facit; nec rarius amor ſibi ipſi pulchritudinem fingit, qua iucundè paſcatur; quàm vera pulchritudinis imago amorem gignit. Amare igitur Iuriſprudentiam poterit, qui finem eius æſtimat: poſſe olim ſalubribus conſilijs & deſcriptione æqui iniquique amicos, ciueſque & patriam iuuare; priuata, ac publica recte diſponere; in obſcuris perplexiſque rebus tanquam oraculum audiri, tanquam ſalutare ſidus adſpici. Hæc vero ſolertia auctoritaſque & gloria à Iuriſprudentia venit.

Amare quoque Iuriſprudentiam poterit, qui ſe dignum conſuetudine eius fecerit, ijs quos dixi & moribus, & artibus: inde enim guſtum quendam iuuentus haurit, quo ad eam incitetur. denique amabit Iuriſprudentiam qui familiarius adſpicere cæpit: id vero hac noſtra & Inſtitutionum lectione publica contingit. Sic enim exiſtimo, hanc optimam eſſe methodum, hæc certiſsima incitamenta, Ab his duabus lectionibus auſpicari. (poſt quædam tamen vt mox dicam, priuati ſtudij proludia) his ſolis tantiſper immorari, nec vagari & diſtrahi per alios authores. Senecæ in hanc ſententiam pulcra monita ſunt: *certis ingenijs immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat, nuſquam eſt, qui vbique eſt. in perrgrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt ijs qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. non prodeſt cibus nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. non conualeſcit planta quæ ſæpe transfertur. nihil tam vtile eſt quod in tranſitu proſit.* Summa

hæc eſt, diligentem & certam lectionem prodeſſe, variam & vagam falſa voluptate blandiri: quod ille tot imaginibus cognatarum aliquatenus rerum illuſtrat, probatque. Quid igitur? dicet aliquis, totum diem, imò plures interuentu feriarum, dies, duarum lectionum ſtudium, id eſt paucæ & exiguæ paginæ occupabunt? Scio hoc dici ſolere & quidem dici in negligentioribus, ijs ſcilicet qui præclarè ſe munere ſuo perfunctos putant, ſi dictata ſcripſerint, quæ ſic deinde reponunt tanquam altero poſt ſæculo profutura. perniciosus hic error eſt. Scribere parum eſt, ſi non in hoc ſcribis vt illa ſcribendi intentione & ingenium & memoriam in ea quæ ſcribis excites, & confirmes. In hunc enim finē Thucydidis libros etiam octies ſua manu deſcripſit illud induſtriæ omnium rerum artificis & omnium difficultatum victricis exemplum Demoſthenes. Igitur ſic affectus quiſque eſſe debet, vt ſcripturæ quoque operam perdidiſſe ſe exiſtimet, quoties lectionem ingenio & memoria non comprehendit. Id vero facile erit ei, qui dictata mox viua voce illuſtranti diligenter intendet: & deinde domum reuerſus accurata lectione meditationeque quæ ſcripſit quæque audiuit conferet, & ad lectiones Inſtitutionum ſemper præparatus accedet, lecto domi textu publicè explicando; ſimiliterque ad hanc lectionem, prælecto apud Cuiacium titulo. Etenim hic dictatorum vſus; vt onus viribus veſtris aptemus, & clariſſima methodo ad diſcentium captum moderemur quæ docemus: alioqui enim ſuperſederi poſſet ſcribendi labore, librorum ferè ſufficiente ſubſidio. Tam diligenter igitur circà lectiones ipſas verſantibus (& adiungi poterit lectio Inſtitutionum Pontificij Iuris) temporis & ſtudij ratio conſtabit: præſertim cum vt prædixi, literarum interiorum pleriſque coniungenda ſint ſtudia. Illud non eſt omittendum mihi, quoniam publicæ lectiones longiore interuallo trahuntur, Vehementer expedire quamprimum euoluere & animo affigere *Breuiarum Inſtitutionum*, quale *VVeſenbecius* ſcripſit Iſagoges nomine; & Paratitlorum, *Hopperus*; hi primis lineamentis vniuerſæ effigiem Iuriſprudentiæ adumbrant. Hanc perluſtraſſe in noſtras quoque lectiones proderit, faciliuſque intelligentur ſingula, ſumma rei animo cōprehenſa; ſingula enim quaſi mēbrā ex vniuerſo tanquam corpore vim vigorēque trahunt. Proderit præterea priuatim legere & ediſcere *regulas Iuris* & *verborū ſignificationes*. His enim quaſi venis & arterijs totum Iuriſprudentiæ corpus ſuſtinetur & vegetatur. Extant

Digitized by Google

ſtant quidē de his tituli Pandectarum duo, ſed illi incipientibus primùm difficiliores erunt. Vveſenbecius ſuadet adhiberi *Decium* Interpretem tituli de Regulis Iuris. Verum quoniā eius interpretatio diffuſior & perplexior quam pro captu incipientiū eſt probē magis IC. tum *Camum* qui axiomata *Iuris* diſpoſuit, & explicuit; vel *Duarenum*, qui ex toto Iure has Regulas vel aphoriſmos ſiue cōmunes patētesq; latè ſententias collegit quod operoſius quoque quam pro rudiū adhuc captu *Bred*. *rodius* fecit. Sed explicationē verborū juris antecedere praſtet: & plures in eum vſum Lexica ſcripſerunt, ſed excellunt *Hotomannus & Briſſonius*. Hæc adminicula omniū eſſe prima velim, quæ & Lectiones & Iuriſprudentiam facilē reddent. incipietque poſt hęc præludia juuentus expēdere leges quæ allegātur in dictatis, eaſq; cum ijs cōferre, & animaduertere quomodo non directæ tantum ſententię ductu in auctoritatem, ſed conſequentiarum quoque obliquo flexu in argumētum trahantur. id enim altioris iam conatus eſt hę igitur curæ primum annū vel etiā bienniū (pro modo celerioris tardiorisve ingenij) ſolę occupent: & omnia deinceps procliuia erunt. Nemo ſub falſa imagine diligentiæ indulgeat faſtidioſæ voluptati vt modò ad hunc, modò ad illum ſe auctorē conferat: nemo crudā quadā & cæca profectus cupiditate, ſpecie feſtinādi ſibiipſi obſtet. Vetus prouerbium eſt. *qui nimiū properāt ſerius abſoluunt*: quia properant, temerè nec ex præparato agunt, nihilq; toto animo quia ſemper vltra ſpectāt. agunt igitur, ſed nō peragunt, quia neceſſaria quædā omiſerunt; imò agere acta debēt, quia vitioſè egerūt. & in paruis magniſq; rebus hæc cernimus. Rerum natura ſic habet: omnia à paruis initijs, per occultos incrementorū gradus, ad conſummationē tendunt: ſic homines, ſic animalia cetera, ſic plātæ & quicquid gignitur, minimis quibuſdā modulis ad deſtinatā ſibi à natura ſummā pertingūt. Latēt quamcunq; oculorū aciē creſcēdi momenta, quia minutiſsima ſunt; multū tamē in ſummā conferunt, quia aſsidua ſunt. Nimirum cum Lucretio dicam . . . *quacumque dies naturaq; rebus*

Paulatim tribuit moderatim creſcere cogens:
Nulla poteſt oculorum acies contenta tueri. Vt ſi idem ait:
Annulus in digito ſubter tenuatur habendo,
Stillicidi caſus lapidem cauat: vncus aratri Ferreus occultè decreſcit vomer in arvis.

non impetu nimirum, ſed aſsiduitate Rerum naturam ars imitatur: pictor à rudi adumbratione deſtinatæ effigiei paulatim alios alijs ſuperinducēdo colores, ad eā peruenit articulationē, vt nō mēbra tantū

ſed

ſed motum habere imago videatur. Verum naturam ſequamini ducem: methodo & modo diſcendi impetum dirigite, ſtudia diſpenſate: tantum conſtanter hoc agite, certi, tenuia vtique creſcendi momenta non niſi aſsiduitate ad ſummam conualeſcere Non quia vaſta Iuriſprudentia eſt, idcirco vagandum eſt, nam neque per immenſum pelagus ad deſtinatas peruenerit terras, niſi qui certam fecit viam.

Omnis difficultas penes initia eſt: ſed ijs eo quem dixi modo profligatis, omnia prona ſunt: quò plus hauſerit animus, hoc ſe magis ad reliqua deſiderio aperit, & delibatæ voluptatis illecebra incitatur: ingeniumque quaſi luce adaucta radios ſuos per omnia diffundit, iamque incrementorum moduli extenduntur. Id adeo in reliquis quoque rebus contingit. & non minus prudenter, quam eleganter Lampis quidam interrogatus, *Quomodo tantas opes ſibi paraſſet? reſpondit: paruas quidem magno, magnas paruo labore*. Itaque vt diuitiæ incremento fructuum ſeipſas facilè augēt: ſic doctrina quoque creſcit, dum ſimilia comprehenſis animus effingit; & alia atque alia ex ijs inſitâ fœcunditate progignit. Conſultiſſimum autem eſt ipſos iam fontes Iuris adire, & in ſuccum ac ſanguinem illa priſcorum Iuris Antiſtitum monumenta conuertere: hęc enim ſola auctoritatem Iuris habent; vel exemplis ſimilium argumentiſue conſequentiam rerum faciunt: & præterea neſcio quis Aequitatis genius in ſcriptis Iureconſultorum ſpirat. Interpretum tamen ſubſidio opus eſt, quos hodie duplici ſorte diſtinctos, antiquos partim, partim recentes appellamus: quorum hi an illi præſtent, quęri ſolet. Ego antiquos illos non laudandos tantum, ſed admirandos puto; & ruditatem illorum circa res arteſque veteres non quidem laudi, ſed admirationi imputo; quod ſine ijs tantum in explicando Iure præſtiterunt, vel maximi inſtinctu ingenij, vel certè pertinaciſsima diligentia. Non ideo tamen dubitauerim, plus conferre recentiores; quos in aſſequēda Iuris auctorum germana ſententia, docendi quoque methodo, & eloquij puritate, & Iudicio in quęſtionum argumentorumque dilectu antecellere, etiam illi ferè fatentur, qui Accurſianos præferunt; quos tamen fœcundiores eſſe contendunt, magiſque in ſingulorum euentuum ſinus & receſſus penetrare. & fatendum eſt, copioſos illos eſſe, vt fuerūt ſcrupuloſiſsimæ diligentiæ, ſed illâ ipsâ nimia peccant,

Digitized by Google

cant. Quicquid enim effici arte poteſt, id omne præceptis eius comprehendere voluerunt: quod natura rerum nõ recipit. Neque enim illud præſtari poteſt, vt vlla ſcripturarũ mole, vt ſola memoriâ præceptorum, non etiam ingenio cuiuſq; facultas Iureconſulti cõtineatur; potiſſimum circa facti quæſtiones, & quas arbitrarij Iuris vocamus: circa quas præcipuus illorum & perplexiſſimus eſt labor. Quid, quod inter recentiores non deſunt, qui antiquorum quæſtiones maiore iudicio & dilectu, non tantum cultiore & faciliore tractatu explicuerunt? neque mirum eſt recentiores antecellere: nam antiquorum pariter & erroribus & præclaris inuentis profecerunt. Quippe & in alijs facilius errores notamus, & eos notaſſe, multum inquirendæ inueniendæque veritati confert. Quid? quod Accurſianos ſæpe copioſos facit fœcunditas erroris; dum varios legum ſenſus comminiſcuntur & examinant: dum nimis audacter legis ſententiam extendunt, contrahuntve. Quid; quod multæ quæſtiones non ad vſum prudentiamque, ſed ad Sophiſticen & inanem ſubtilitatem ſpectant? auertit quoque hæc inutilis copia ab ipſis legibus, in quarum ingenua ſententia enucleanda toti ſunt, & fœliciores ſunt (etiam aduerſariorum confeſſione) recentiores. Recentiores igitur cultioreſque (& clariores illi nobilioreſque ſunt, quam vt nominatim eos recenſere debeam) præferre audeo; potiſſimũ magno exẽplo commotus. Videmus quippe Iuſtinianum Pandectas ſuas impleuiſſe ſcriptis recentiorum tunc Iureconſultorum: adeoque rara ibi ſymbola eorum quos Pomponius in ſua hiſtoria Iuriſprudentię nominauit. Inter hos igitur Interpretes dum verſari candidatus Iuriſprudentię incipit, diſputationibus quoque exercendus eſt: vtilibus illis ſimulacro forenſium diſceptationum, & ad ingenium, excitandum, vt id in numerato habeat, & ex ſe quoque audeat aliquid gignatque; itemque ad peritiorem rei indagationem, & formandum iudicium, ſi tamen non numerentur ſolum argumenta, ſed ponderentur. Ideoque nunc primum diſputationes tempeſtiuas puto nam qui ab initio ſtatim ijs ſe dedunt, inutilem rixandi, cauillandique conſuetudinem colligunt, & iudicio officientem, imò olim iudicia calumnijs turbaturam. Quomodo enim argumentis controuerſa diſcutiat, qui nondum ea quæ certi Iuris ſunt cognouit? dubia enim non niſi per manifeſta in hanc illamve partem probari poſſunt. Niſi dig-

num operæprecium cenſeamus, emendicatis ab alio argumentis velitari; cum ex aduerſo vix fortiter vibrare quis ea poſſit, niſi viribus lacertisve ſuis apta ſint, quin propria: neque excitare ea vim ingenij poſſint, niſi inde gignantur.

His demum ſtudijs excultus iam *Communes opiniones*, quas varij collegerunt; iam *Conſuetudines* quæ generatim Iuri derogauerunt à diuerſis annotatas; iam *res Iudicatas* ab ijs qui in eo genere eminent ſcriptas, iam *Reſponſa* recentiorum operoſiora vtiliter leget: quia non intelligere tantum poterit ea ſed iudicare quoque. Omnia enim talia ad amuſſim Iuriſprudentiæ, & legũ exigenda ſunt: ceterùm enim Iudicij conſtantiam impediunt, ſtudioque quodam fatigant vago & infinito, ipſumque Ius incertum & immenſum & flexibile reddunt. Circa iſta igitur ſupremus erit labor; & qui proximè ad forum & curiam formet exerceatque.

Hæc igitur, Generoſi Iuuenes, via eſt, quæ ad Iuriſprudentiæ vos metam ſiſtat: hanc ego rectiſſimam & planiſſimam exiſtimo; minimeque erroribus obnoxiam, ſi quis ijs eam diſtinguat interuallis, quę ſignaui. Hanc vos ſecuri lætique, bonis auſpicijs, & Superis fortunantibus, inite: nullæ hic ambages, ſed ſummum compendium; nullum hic fatigationis periculum, ſed æqualibus ſpatijs ad virium modulos omnia deſcripta; nullæ hic prærupta rupęs, nullum præcipitium, ſed per molles cliuos in verticem adſcenſus. tantum inite, & me duce veſtigia ponite & continuate. Aſtreæ pulcerrima & magnificentiſſima effigies cuique in oculis ſit; huius amor laborem mitigabit: imo patriam & parentes quiſque cogitet; illius exſpectationem, & horum pia illa & ſollicita vota implere annitatur. Quid etiam? ad ſe quiſque & ſua vota reſpiciat; quorum vt damnetur, cum Minerua manus operi admouenda eſt. AEtatem quiſque ſuam intueatur, illam optimam, illam ſtudijs laboribuſque aptam: vnde vel honor & fœlicitas, vel obſcuritas & pœnitentia in reliquam vitam redundet. Ornamenta reliquæ ætatis, & ſolatia ſenectutis, iam vel nunquam ſibi paranda quiſque recordetur: & vtili ſemente ver hoc æui occupet, vt fœcundus vitę autumnus, & ſecura hyems exſpectetur. Quod inſtituiſtis, in hoc incumbite: ſtudia & libros tractate, ingenium & iudicium formate, ſcientias & prudentiam haurite, reliquarum curarum exſortes; annos vtiliter occupate, & ſeriò viuite.

vno

vno verbo: *hoc agite*. Senecæ vobis pulcerrimum monitum inculcabo: *magna vitæ pars elabitur malè agentibus; maxima nihil agentibus; tota aliud agentibus.* Ingenioſè hæc dicuntur. & examinemus. *malè agentes*, & vitijs occupati, luxu & libidinibus immerſi, magnam vitæ partem amittunt: cum huic diſcedat, quidquid ingenij cultui, & virtutis fructui, id eſt, recto animi vſui non impenditur. Is enim demum viuit, qui animo vtitur in deſtinatum ei à natura opus: id autem eſt virtus. Sed plus etiam de vita illis perit, qui *nihil agunt*; & ignauo torpentes otio, ne vſum quidem animi, adeò nec fructum vllum habent: & quid vſum dico? ne ſenſum quidem animi habent, a quo non excitantur, cuius vim nuſquam experiuntur: hi ſomni perpetui adeoque mortis imaginem ſuſtinent. Imò non ſunt; ſed, quod deterius eſt, viuunt mortui. Argutè enim ille: *malle ſe eſſe mortuum, quam viuere.* Sed tota illis vita effluit *qui aliud agunt*: & quinam hi, quos deteriore etiam prioribus & extrema ſorte Seneca cenſet? Qui agunt quidem, ſed languidè & negligenter; neque digna cura & toto quod inſtituerunt animo agunt, ſed auerſo eo & diſtracto in alia. his enim non tantum quod non agunt perit, ſed & quod agunt; neque tempus tantum, ſed opera: & neque rationi parent, neque cupiditatibus obſequuntur, inter vtrumque ſuſpenſi & fluctuantes. Imò nauſeantes in pręſentibus, toti ex craſtino ſemper pendent: cūque pariter & faſtidiunt quod agunt, & quod deſtinant differunt, inquietos & diſtrictos circà conſilium vitę vel apparatum, ipſa vita nec opinantes effugit. Quis neget his & præ otioſis, & præ intentis in vitia perire vitam? namque tædium præſentis cupiditates illorum in futurum immittit; & deſiderium viciſſim futuri faſtidio illos inſtantis vexat, luditque eos inexplicabilis error, & eludit ſemper vita: quia ab animo ægro & inconſtante faſtidium eſt, qui vtique in deſtinatum quoque tempus comitatur; & cum moleſtum illis ſemper quod adeſt ſit, nihil ex futuro lætamenti eſt, quippe quod pertinere ad illos non poteſt, niſi vt præſens fiat, id eſt pariter turbidum odioſumque. Hi igitur *aliud agunt*: imo cum erroris continui ludibrio ſui ſemper ſimiles exſiſtunt, erroris tamen infinita varietate ſemper *alij ipſi* ſunt, adeo nunquam ſimiles ſui. *Maximum indicium eſt*, inquit Seneca, *malæ mentis fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum amoremque vitiorum aſſidua iactatio; malæ mentis*, inquit: imo nullius,

a quia

quia nunquam eadem eſt, nunquam in ſe collecta His igitur tota vita perit. quia aſſiduè ipſi pereunt, ex alio in alium migrantes, cæcæ mentis reciproco æſtu, & conſilij extemporanei imbecillitate, varietateque propoſitorum, & rabidarum faſtidio cupiditatum, conflictuque votorum Vobis igitur ne ætas apta formandæ in hanc aut illam partem reliquæ vitæ, imo ne vita ipſa elabatur, cuſtodem & directricem non ſuæ tantum ſed aliorum quoque vitæ Prudentiam ſerijs ſtudijs colite: ea animos & otium vtiliter occupabunt. imo ea animos regent, & *rectè agere* docebunt: otium oblectabunt, & à faſtidio animum vindicabunt, *ne aliud agatis*. Enimuero ex omni turba mortalium nulli crebrius *aliud agunt*, quam Studioſi, & quidem Iuris: dum ſcilicet inter ſtudia & noxias voluptates non æqua ſocietate animum partiuntur; dum ſpecie tenus Iura & ſtudia colunt, animo verò & præcipua temporis parte arma, aleam, amores, venationem, cantus & tripudia & ſympoſia ſimiliaque auocamenta ſectantur. His talibus non Iuriſprudentia tantum, ſed vita perit; quia ſpecie Academicæ diligentiæ tempus conſumunt, quod aliqua in ſequentem ætatem vtilitate in aula, vel militia, vel mercatura occupaſſent ſed quia *aliud egerunt*, neque ſtudiorum fructu, neque talium negotiorum induſtriâ, vel ſibi, vel amicis, vel Reipublicæ vtiles exſiſtunt.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google